

*Pater, clarifica Filium tuum.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 1-11 a

In illo témpore:

- <sup>1</sup> **S**ublevátis Iesus óculis in cælum dixit:  
«Pater, venit hora:  
clarífica Fílium tuum,  
ut Fílius claríficet te,
- <sup>2</sup> sicut dedísti ei potestátem omnis carnis,  
ut omne, quod dedísti ei, det eis vitam ætérrnam.
- <sup>3</sup> Hæc est autem vita ætérrna,  
ut cognóscant te solum verum Deum  
et, quem misísti, Iesum Christum.
- <sup>4</sup> Ego te clarificávi super terram:  
opus consummávi, quod dedísti mihi, ut fáciam;
- <sup>5</sup> et nunc clarífica me tu, Pater, apud temetípsum  
claritáte, quam habébam, priúsqum mundus esset,  
apud te.
- <sup>6</sup> Manifestávi nomen tuum homínibus,  
quos dedísti mihi de mundo.  
Tui erant, et mihi eos dedísti,  
et sermónem tuum servavérunt.
- <sup>7</sup> Nunc cognovérunt  
quia ómnia, quæ dedísti mihi, abs te sunt,
- <sup>8</sup> quia verba, quæ dedísti mihi, dedi eis,  
et ipsi accepérunt  
et cognovérunt vere quia a te exívi,  
et credidérunt quia tu me misísti.
- <sup>9</sup> Ego pro eis rogo;  
non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedísti mihi,  
quia tui sunt,
- <sup>10</sup> et mea ómnia tua sunt et tua mea;

et clarificátus sum in eis.

- <sup>11</sup> Et iam non sum in mundo,  
et hi in mundo sunt,  
et ego ad te vénio».

Verbum Dómini.